



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XI. In ordine rerum Deus est summus, optimus, maximus in
bonitate. Summè proinde & maximè diligendus, creaturisque omnibus in
amore præferendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

dicentem; quòd quacumque res propter aliud queritur, sine dubio inferior est, quàm id propter quod queritur. Unde infert: Si propterea evangelizamus ut manducemus, vilius habemus Evangelium quàm cibum.

82 Quinta excellentia est, quòd sicut Philosophus ait in 1. Politic. appetitus finis in omnibus actibus est absque termino; eorum autem quae sunt ad finem est aliquis terminus. Non enim medicus imponit aliquem terminum sanitati, sed facit eam perfectam quantumcumque potest, sed medicina imponit terminum. Non enim dat tantum de medicina quantum potest, sed secundum proportionem ad sanitatem, ait S. Thomas 2. 2. q. 27. a. 6. Quod & repetit q. 184. a. 3. In fine non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quae sunt ad finem. . . sicut medicus non adhibet mensuram; quantum sanat, sed quantum medicinam vel diatam utatur ad sanandum.

83 Idque experientia docet in iis qui divitias habent pro fine amoris sui: divitias enim quaerunt sine fine, nec eas ad usus suos applicant, idedque fructum ex eis non capiunt, ut Spiritus sanctus testatur Eccli. 15. Qui amat divitias (id est, qui eas pro fine amoris habet, hoc est enim simpliciter amare phrasi Scripturae, uti n. 50. ostendimus) fractum non capiet ex eis.

CAPUT X.

Ad ordinatum amorem necesse est ut (caeteris paribus) talis sit ordo amoris, qualis est ordo rerum in bonitate.

84 Ratio est, quia ut amor sit ordinatus, amans debet unumquodque amare secundum amabilitatem suam. In amore igitur ordinato, talis est ordo amoris, qualis est ordo amabilitatis. Sed talis est ordo amabilitatis, qualis est ordo rerum in bonitate: unumquodque enim in tantum est amabile, in quantum bonum. Quia bonitas rerum est tota ratio amabilitatis earum.

85 Et confirmatur, quia ordinatus amor postulat, ut maximè amemus quod maximè est amabile, amemus minùs, quod minùs est amabile, & amemus aequaliter ea quae aequaliter amabilia sunt. Sic enim recta ratio dicitur, & non potest voluntas non esse recta, rectam rationem sequendo.

86 Sic etiam faciendum docent SS. Patres. Augustinus serm. 100. de verb. Evangelii Lucae (Edit. noviss. Benedictin.) explicans verba ista Cantic. Ordinate in me charitatem. Quid est (inquit) ordinate in me charitatem? facite gradus, & cuique quod debetur restituere. Nolite anteriora in bonitate posterioribus subdere. Amate parentes, sed praepone Deum parentibus. Serm. 21. Cant. 2. dicitur: Ordinate in me charitatem: bonum aliquid te fecit Deus, sub se fecit aliquid inferius, & sub te: sub alio es, super aliud es: noli, relicto superiore bono, cur-

vare te ad inferiora. . . Si in negotio tuo argenti praepone auro, si plumbum argento, si pulverem plumbo, nonne ab omnibus sociis tuis. . . demensissimus iudicaberis? . . . ideo demens dicor, quia de duabus speciebus. . . praepone viliorum chariori. . . eris rectus, superiora plus diligens, inferioribus rectè utens. L. de vera relig. c. 48. Ordo amoris est ut potius potiora, & minus minor diligamus. L. 1. de lib. arb. c. 8. Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omninò, ubi deterioribus meliora subiciuntur. Lib. 2. c. 10. Ille qui iuste vivit, non posset ita vivere, nisi videret quae inferiora quibus potioribus subdat, & quae paria sibi copulet, & quae propria suis quibusque distribuatur. Lib. 1. de doct. christ. c. 27. Iuste & sanctè vivit, qui rerum integer estimator est; ipse est autem, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut amplius diligat, quod minus diligendum est, aut aequè diligat, quod vel minus vel amplius diligendum est, vel amplius quod aequè diligendum est. Et epist. 120. ad Honorat. Sicut bona sunt omnia quae creavit Deus, ab ipsa rationali creatura usque ad infimum corpus, ita benè agit in his anima rationalis, si ordinem servet, & distinguendo, eligendo, pendendo, subdat minora majoribus, corporalia spiritualibus, inferiora superioribus, temporalia sempiternis; ne superiorum neglectu, & appetitu inferiorum (quoniam hinc fit & ipsa deterior) & se, & corpus suum mittat in pejus, sed potius ordinata charitate, se & corpus suum convertat in melius.

87 Similiter loquitur Bernardus lib. de diligendo Deo: Cupiditas tua tunc rectè à superveniente charitate ordinatur, cum mala quidem penitus respiciuntur, bonis meliora preferuntur, nec bona, nisi propter meliora diliguntur. Et serm. 6. in parvis: Si amantur quae amanda sunt, si magis amantur quae magis amanda sunt, si non amantur, quae amanda non sunt, amor purgatus erit.

CAPUT XI.

In ordine rerum Deus est summus, optimus, maximus in bonitate. Summè proinde & maximè diligendus, creaturisque omnibus in amore preferendus.

88 Constat ex allato amoris ordine, ex primo & maximo mandato: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, &c.

Adversus hunc ordinem peccat, quisquis mortaliter peccat, vilissimam voluptatem v. g. Deo preferendo. Specialiter peccavit Judas, dum triginta denariis Christum vendidit, de quo Ambrosius l. 3. de Spir. S. c. 18. O Judas proditor! unguentum passionis ejus trecentis denariis aestimas, & passionem ejus triginta denariis vendis, dives in aestimatione, vilis in scelere.